635

FRIDERICI HOFFMANNI
PROPEMPTICON INAVGVRALE
DE
MECHANICA OPTIMA IN MEDICINA PHILOSOPHANDI METHODO.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

PRæſtantis non minus ac periti Medici eſt, non modo ea, quæ circa œconomiam corporis humani vitalem ſubinde occurrunt, accurate obſervare & attente annotare, ſed & omnium quæ eveniunt mutationum, ſive in peius, ſive in melius fuerint, veras ac genuinas cauſas omni ſolertia indagare, ut rationalis, adeoque certa & fida fiat obſervatio, in inſignem poſtmodum utilitatem cedens. Equidem a primis artis medicæ quibus excoli cœpit annis, clariſſimi auctores ſoli Empiriæ, ſive experimentis, neutiquam fidere animum induxerunt, ſed eam rationalem reddere allaborarunt. Infelix vero admodum ſemper fuit ſucceſſus Nam genuinis principiis, quibus Medicus ad demonſtrandas veritates, tanquam fontibus uti debet, deſtituti, ex defectu intimæ cognitionis corporis humani & neglectu rerum quæ ipſius functiones immutare poſſunt, nihil ſolidi in explicandis naturæ phœnomenis, in detegendis erroribus & inveniendis adverſus morbos remediis, præſtare potuerunt, ſed potius pro veris rerum cauſis atque principiis, in theoria nonniſi falſas, commentitias, ideales notiones, quæ nullius conceptus vel uſus, ex parte etiam tantum ſterilia nomina, nec non perverſas humorum non exiſtentium qualitates materiales admiſerunt. Veteribus igitur plane ignota fuit vitæ & functionum corporis atque animæ, ſanitatis ac mortis vera origo, neque ullius morbi, aut ejus cauſarum perfectam notitiam habuerunt, remediorum quoque vires, modi & principia operandi ipſis fuerunt recondita. Poſteaquam vero ſuperiori ſæculo, incomparabile illud circulationis ſanguinis aliaque præſtantiſſima inven-

inventa, quæ propriam partium ſtructuram, uſum & functionem evidenter manifeſtant, innotuerunt, atque etiam ſcientia rerum corporearum, per multifaria experimenta mechanica, quibus vires & effectus corporum clare demonſtrantur, majori ſtudio agitari & excoli cœpit, longe aliam etiam faciem & habitum philoſophandi & demonſtrandi in rebus medicis ratio accepit & jam gerit. Neque enim nunc amplius ex meris paſſivis materiæ qualitatibus, proprietatibus & affectionibus, ſed ex motuum natura, conſtanti effectu, ſeu neceſſaria operatione, quam Mathematici regulas & leges motuum vocare ſolent, non ſolum omnia quæ in rerum natura eveniunt phoenomena, operationes & actiones rerum corporearum, ſed etiam quæ in corpore humano contingunt mutationes, ipſius quoque corporis in ſe corruptibilis a præſentanea corruptione præſervationem, integrum omnium partium quoad functiones ſuas exercitium, ſtatum corporis morboſum, itemque rerum ſalubrium & inſalubrium naturam & cauſas, modum & methodum morbos ſanandi & corpus ab iisdem vindicandi, potiſſimum & principaliter eruimus, deducimus, ac demonſtramus, id eſt, mechanice philoſophamur, quia Mechanica non tantum eſt ſcientia machinarum & mobilium, ſed principaliter motuum, quomodo ſcilicet fiant, a quibus cauſis pendeant & quos peculiares effectus in alia corpora exſerant. Nam præcipuum demonſtrandi, quo Medicus utitur, principium, nihil aliud eſt, quam circuitus, ſive progreſſivus in circulum abiens, ſanguinis & omnis generis fluidorum, per compagem corporis noſtri mere vaſculoſam, a contractione & dilatatione cordis & fibrarum pendens motus. Hoc motu ſalvo & integro, partium functiones recte ſuccedunt, vita conſervatur, nec non convenientes ſecretiones & excretiones, ſine quibus vita & ſanitas conſiſtere nequit, rite peraguntur, adeoque hic partium ſolidarum &

fluidarum motus, eſt illa ipſa natura Veterum, cui vim vitæ, originem temperamentorum & virtutem morborum curatricem adſcripſerunt. Quum autem hic motus vitalis a ſolidis & fluidis partibus adminiſtretur, facile omnino judicare licet, & ſanitatem, & vitam, & morbos, & mortem, & reſtitutionem a morbis, aliaque quæ circa œconomiam corporis præſto ſunt phænomena, a ſolidorum & fluidorum indole, peculiari textura, ſtructura, vi ſyſtaltica, majori, vel minori vaſorum amplitudine, figura & propiori, vel remotiori a corde, ceu primo motus fonte, diſtantia, adeoque ex puris cauſis neceſſariis, phyſicis & mechanicis, dependere. Et hanc naturam ſolidorum & fluidorum, quæ motus dirigit, determinat atque modificat, in omnibus quæ fiunt in corpore humano mutationibus Medicum utique exacte perſcrutari oportet. Clare igitur & evidenter apparere arbitror, quid per methodum philoſophandi mechanice, dictum, vel intellectum velimus, cuius enunciati ſenſum non videntur illi capere, qui audacter quidem, ſed frivole cavillantur & hanc philoſophandi & demonſtrandi viam fruſtra magno labore impugnant. Neque tamen illi ſumus, qui profitentur, omnes & ſingulos in corpore noſtro, qui occurrunt effectus, a cauſis tantum mechanicis & ex neceſſitate agentibus provenire. Nam phantaſiæ vires, quid valeant, in turbandis etiam motibus vitalibus & naturalibus, per affectus animi, per imaginationem matris gravidæ, ſufficienter nobis notæ ſunt. Neque etiam obſcurum nobis eſt, mentem directorium quaſi & arbitrium quoddam in muſculos & artus voluntarios ad motus edendos habere. Hinc, ſi quis ullus urget, ſane etiam nos inculcamus, hos, quos immateriales cauſæ producunt in ſolidis & fluidis effectus, a Medico probe eſſe conſiderandos. Ecquis vero eſt, qui neſciat, principii ſenſitivi & voluntatis actionem admodum eſſe limitatam atque reſtrictam, neque omni tempore ne-

que

que in omnes partes eidem jus esse atque potentiam. Quis porro est, qui juste & secundum logicas regulas inde argumentari velit, omnes & singulos in corpore actus a principio immateriali esse petendos, quum notissimum sit, quantam potentiam catholicum illud aëreum & æthereum fluidum, item reliqua elementa, alimenta, medicamenta, venena aliæque res externæ corporeæ, habeant in corpus nostrum, cordis & arteriarum motum augendi, minuendi, sistendi, partibus robur restituendi easdemque imbecilles reddendi, vitam custodiendi, sanitatem revocandi & vicissim morbos ipsamque mortem inducendi. Quod si autem, uti nonnullorum jam fert sententia, etiam harum rerum corporearum actiones & operationes, sub universali quodam directorio principii incorporei, vitalis interni, & ejus rationali cognitione, intentione & morali æstimatione, constituta sint, ut hoc earum vires, pro lubitu mutare & applicare possit, ego quidem omnibus, qui iudicandi facultate pollent, dijudicandum relinquo, annon hac ratione omnis certitudo, veritas, demonstratio & rationalis theoria medica, uno quasi ictu concidat & nonnisi mera, historia quæ in rebus facti tantummodo hæret, supersit.

Præbuit occasionem huic, *de mechanica optima in medicina philosophandi ratione*, meditationi, palmarium illud & princeps ad demonstrandam philosophiæ mechanicæ in explicandis intelligenter difficilibus & medicis rebus argumentum, de mutata solidorum per ætates dispositione ad inducendos & sanandos morbos potentia, quod dissertatione inaugurali sibi excutiendum elegit clarissimus Dn. Candidatus, de cuius jam natali solo, moribus & vita laudabiliter gesta, ea, quæ ad manus nostras pervenerunt, annectere instituti postulat ratio. Est is Vir-juvenis nobilis & præclare doctus,

DN. GOTTLOB HENRICVS BVDÆVS,

qui

qui in incluta urbium Hexapolitanarum principe, Budissa, ortus, annum nativitatis suæ tertium post millesimum septingentesimum habuit. Pater excellens medicus *D.* Gottlieb Budæus, Archiater Principis Saxonis, Physicus Marchionatus superioris Lusatiæ ordinarius, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega, Menodotus dictus & Medicorum Budisinensium Ordinis Senior. Mater Christiana Margaretha Leddinia, fuit filia, Joh. Leddini, Dynastæ in Weidliz hæreditarii, I. V. L. Electoris Saxonis Consiliarii & Cancellarii Iudicii supremi in Marchionatu superioris Lusatiæ. In hoc parentum sinu indulgentiaque educatus, per omnem honestarum artium cultum, pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium, præter bonam erectamque indolem, quod statim parvulus duces ac magistros studiorum semper viros habebat pios, probos eruditaque comitate, & indefessa præditos solertia, beneque compositos. Quos inter primas tenet *Iob. Christ. Rüdigerus* S. S. Theol. Cult. Minist. Candidat. ac P. L. C. cujus sub ductu, per duodecim annos, se a prima fere juventa studia literarum egregie hausisse fatetur. Scilicet habile ipsius ingenium pulcritudinem ac speciem Græcæ Romanæque linguarum peritiæ appetebat, ratio & ætas adquirebat. Positis igitur studiorum rudimentis, diligenti ac indefessa instructione usus est deinde in Gymnasio, quod Budissæ floret, Præceptorum præclarissimorum, Rectoris nimirum M. *Georgii Ehrenfridi Behrnaueri*, M. *Michaelis Thymii*, Conrectoris & *Ieremiæ Callmanni* Sub-Rectoris; quorumcunque ad cineres usque gloriatur fidem. Incessit posthæc animum ipsius artis salutaris cupido; quæ ipsi stimulos addidit, ut ad capessendos indies in studio medico præstantiores profectus, per biennii spatium, Parente ipso duce, secundum novissima principia, cursum emensus fuerit medicum; idque

idque Parentis opera ad interna artis medicæ nitenti decus ac robur fuit. Occasiones dabant sectiones & cadaverum inspectiones, quibus tam nimirum, quam elaborationibus processibusque in Pharmacopoea patria chemicis sæpius intererat, adeoque mutuo quodam Chymiam Anatomenque cum arte salutari jungebat vinculo. Thermas quoque Carolinas ac Toeplizenses visitante secum ductus a parente, magnum ibi, & eruditi, & politici orbis, Principum adspexit confluxum. Adhæc & cum fratre suo D. JOH. GOTTLIEB BVDÆO, Med. Practico, diversis exercitiis, physico-medico-chimicis materiem ultro investigavit medicam. Quo facto, ipse anno millesimo septingentesimo vigesimo quinto ad almam Friedericianam missus Academiam, collegia frequentavit celeberrimorum Medicinæ Professorum, nimirum Consiliarii Medici & Professoris Regii HOFFMANNI, Consiliarii aulici & Professoris ordinarii ALBERTI, D. COSCHWIZII & D. BASSII. Quorum egregiam tam publice, quam privatim instruendo legendoque prædicare satis nunquam poterit benevolentiam. Præterea ab experientissimo Medico Practico D. IUNCKERO, privatissime ad praxim perductus medicam, magnos per quotidianas cum ipso consuetudines se fecisse fatetur progressus. Et quum serenissimi Principis Anhaltini Consil. & Archiatri D. *Christiani Sigismundi Richteri* porta semper fuerit ipsi patens, eximiam ipsius in se sensit benevolentiam, cum orphanotrophei pharmacopolium frequentare ipsi licuit; id quod inter maxumas omnino, quæ sibi per omnem vitam accidere, ponit felicitates; gratumque sui quibusque modis testari sustinet animum. Berolinum deinde Borussorum Regis sedem augustissimam, jussu Parentis profectus, Illustris Collegii medico-chirurgici auditorem sese ibi exhibuit indefessum; scilicet Excellentiss. D. *Augustini Buddei* Professor. Primar. & Director. *D. Elleri, D. Pottii, D. Ludolffi, D. Neumanni* ac *Senffii* cura, exercitia frequentavit anatomica, chirurgica & chimica, quorum quidem fidem, grata quoad vixerit, semper agnoscet venerabiturque mente. Studio igitur academico, quæ summi

ſummi Numinis eſt clementia, progreſſibus haud temnendis ad finem perducto, paterna manuductione ad Praxin ſeſe accingens, ſingulari optumi maximi rerum humanarum Gubernatoris providentia factum eſt, ut Perilluſtris & Generoſisſima Baroniſſa & Domina, Domina HENRIETTA SOPHIA GERSDORFFIA, Domina in Hennersdorff &c. ſingulari gratia egregiaque fide in ipſum ducta, Diſtrictus & Orphanotrophei Hennersdorffienſis Medicum, conſtituerit ordinarium. Quum igitur officio ſuo, quantum quidem in viribus ſuis poſitum erat, omni fide ac ſolertia aliquamdiu præfuiſſet & gratia divina variis feliciter peractis morborum curationibus, illuſtrisſimæ Dominæ ſibi comparaſſet gratiam, ipſa ſingulari ex benignitate, ſummos in arte medica honores ſuis eidem conferri ſumtibus voluit. Hunc in finem Halenſem repetere academiam & medicæ Facultati decenter nomen ſuum profiteri juſſus, apud nos comparuit, & binis examinibus, uno theoretico, altero practico, hos exhibuit profectus, quales optima ipſius indoles, ingenium ſtudiis aptum, educatio provida, ſolertia indefeſſa & doctorum quos nactus eſt dexteritas, peritia ac eruditio, ſperare jubebat. Igitur dignus ordini noſtro viſus eſt, qui quod ambiit laborum præmium obtineat, eaque propter, ut rite ac ſolenniter omnia peragantur, die XX. Maji cathedram conſcenderet & diſſertationem *de ætatum mutatione, morborum cauſa & remedio*, me Præſide defendendo, publicum etiam edet ſpecimen & meritos poſtea adipiſcetur honores. Ad quem inauguralem actum MAGNIFICVM ACADEMIÆ PRO-RECTOREM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, PATRES VTRIVSQVE SENATVS CONSCRIPTOS, CIVES omnesque LITERARVM FAVTORES ea qua par eſt obſervantia ac humanitate invito. P. P. ſub Sigillo Facultatis die XIX. Maii anni M DCC XXVIII.

(L.S.)

ſummi Nu
nem perd
gulari opt
tia factum
Domina H
nersdorff
ctus & O
ordinariu
poſitum e
vina variis
Dominæ ſ
mos in ar
Hunc in
decenter r
examinibu
quales opt
vida, ſole
tia ac erud
qui quod a
ac ſolenni
det & diſſ
remedio,
& merito
ctum MA
STRISSIM
CONSCR
ea qua pa
lo Facult

emnendis ad ſi-
ſe accingens, ſin-
atoris providen-
niſſa & Domina,
Domina in Hen-
um ducta, Diſtri-
tum, conſtituerit
m in viribus ſuis
iſſet & gratia di-
us, illuſtriſsimæ
enignitate, ſum-
ſumtibus voluit.
nedicæ Facultati
nparuit, & binis
nibuit profectus,
m, educatio pro-
dexteritas, peri-
noſtro viſus eſt,
e propter, ut rite
edram conſcen-
orum cauſa &
n edet ſpecimen
inauguralem a-
OREM, ILLV-
VE SENATVS
M FAVTORES
P. P. ſub Sigil-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf